Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25972
Copyright: Admont, Benediktinerstift



sed ipsis celestibus et syderum lucem fulgentibus. nec sine effectu sed violenta
potestate cogentem. atque his terroribus ad facienda que voluerit perdu
centem. merito porphyrius ammiratur. Immo vero sub specie mirantis
et causas rerum talium requirentis dat intelligi illos hec agere spiritus.
quorum genus superius sub aliorum opinione descripsit. non ut ipse posuit
natura sed vitio fallaces. qui simulant deos et animas defunctorum. Demones
autem non ut ipse ait simulant sed plane sunt. et quod ei videtur herbis
et lapidibus. et animantibus. et sonis certis quibusdam ac vocibus et figura
tionibus atque figmentis. quibusdam etiam observatis in celi conversione mo
tibus syderum fabricari in terra ab hominibus potestates idoneas variis
effectibus exequendis. totum hoc ad eosdem ipsos demones pertinet
ludificatores animarum sibimet subditarum. et voluptaria sibi ludibria
ex hominum erroribus exhibentes. Aut quo revera dubitans et inquirens
ista porphyrius. ea tamen commemorat quibus convincantur et redar
guantur nec ad eas potestates que nobis ad beatam vitam capessendam favent
sed ad deceptores demones pertinere monstrentur. aut ut meliora de phylo
sopho. suspicemur. eo modo voluit hominem egyptium talibus erroribus
deditum. et aliqua magna se scire opinantem. non superba quasi auctoritate
doctoris offendere. nec aperte adversantis altercatione turbare. sed quasi
querentis et discere cupientis humilitate ad ea cogitanda convertere.
et quam sint contempnenda vel etiam devitanda monstrare. Denique prope
ad eplem finem petit se ab eo doceri que sit ad beatitudinem via ex egyptia
sapientia. Ceterum illos quibus conversatio cum diis ad hoc esset. ut ob
hoc inveniendum fugitivum vel predium comparandum. aut propter nuptias vel
mercaturam. vel quibusmodi mentem divinam inquietarent. frustra eos
videri dicit coluisse sapientiam. Illa etiam ipsa numina cum quibus con
versarentur. et si ceteris rebus vera predicarent. tamen quo beatitudine
nichil cautum nec satis idoneum monerent. nec deos illos esse. nec benig
nos demones. sed aut illum qui dicitur fallax. aut humanum omne commentum.
Verum quia tanta et talia geruntur his artibus. ut universum modum
humane facultatis excedant. quid restat. nisi ut ea que mirifice tamquam
divinitus predici vel fieri videntur. nec tamen ad unius dei cultum refe
runtur. cui simpliciter in [illegible] herere fatentibus quoque platonicis et permul
ta testantibus solum be[illegible]atificium bonum est. malignorum demonum
ludibria. et seductoria impedimenta. que vera pietate cavenda sunt
prudenter intelligantur. Porro autem quecumque miracula sive per angelos sive
quocumque modo ita divinitus fiunt. ut dei unius in quo solo beata vita est.
cultum religionemque commendent. ea vere ab eis vel per eos qui nos secundum

Nota istud bene.

De via ad beatitudinem.

De miraculis que per angelos fiunt.